



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1657

§. 106. Comprehendentes autem eum. v. 54.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

ibi certe Deus agendi non est principium, sed diabolus. Fuge ergo, fuge passionibus obsequi.

§. 105. *Sed hac est hora vestra, & potestas tenebrarum. v. 35.*

Ex duobus argumentis jam allatis, concludit Christus, & remonstrat hostibus suis, quod ad hunc actum à dæmonibus sint inducti, ut eos deterreret ab ulteriore in malis progressu: Ego autem miror hic Domini mei in discursibus tam rationabilibus, inter strepitum, armorum constantiam, & animi præsentiam, etiam moderationem, qua tenebras appellat ipsa dæmonia & peccata.

Olesu sapientia Dei, æterna veritas, quam clarè effulsit hoc divinum lumen tuum super filios Adæ: quam omnis vita, cunctaque operatio tua, lux quædam & manu ductio nobis fuit ad veritatem? quam perspicue lumen cœlestis doctrinæ tuæ tunc luxit in tenebris? quam universa opera tua humilitate, patientia, charitate, abstinencia, & omni denique gratia & virtute abundant! ita ut in his perfectissima exempla totius sanctitatis, cunctis reluceant; O quam studiose conatus es plantare vineam patris tui? nec tibi ipsi ab æstu, à frigore, à siti & fame, à vigiliis & laboribus pepercisti: enimvero cor tuum præ ardenti desiderio intra te velut in olla ferventi æstuabat, ut patri tuo lucrum reportares, & omnem Israël salvum faceres tua pietate, quam veneror & adoro.

§. 106. *Comprehendentes autem eum. v. 54.*

Quia hora eorum erat, & potestas tenebrarum juxta talium principiorum morem, nempe in humanum & atrocem, comprehendentes; satis barbarè ligarunt, vinculisque compluribus, & manicis ferreis constrinxerunt, quorum alia collo, alia manibus injecerunt. Erat igitur qui guttur illius propè strangulabat; alii manus & pedes arctè nimis copulabant. Quid tunc cogitaverit, quid meditatus fuerit Dominus quando vincula peccatorum circumdabant eum! ipse novit, nos conjectemus meditando, conjectando gratias agamus, & agendo gratias pacem habeamus.

Iesu vinculis alligatè à ludæis miserere mei & omnium ne mortalibus culpis unquam innexi comprehendamur ab ira tua & satanæ servitute.

§. 107. *Duxerunt ad Domum principis sacerdotum. v. 54.*

Princeps sacerdotum illo anno, & duobus præcedentibus erat fueratque Iosephus Caiphas, & ante eum fuerat in eodem officio Annas, sive Annanus & tres intermediis successivè, nempe Ismael filius Fabi, & Eleaza-